



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 12. An licet contumeliam illatam repellere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

causa, quod jus tunc violas. Item si fama tua sit necessaria ad bene, & utiliter gubernandos alios, ut si sis Episcopus, Parochus, Prælatus &c. nam ex justitia teneris nihil facere, quod impediatur, ne rectè, & utiliter aliis munus tuum exequaris, cum teneris ex justitia illud sic obire.

Q. 12. *An licet contumeliam illatam repellere?*

Resp. Sic respondet S. Thom. 2. 2. q. 72. a. 3. *Dicendum quod sicut patientia necessaria est in his, quæ contra nos sunt, ita etiam in his, quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his, quæ contra nos sunt, sunt in præparatione animi habenda, sicut August. l. de Sermone Domini in monte exponens illud præceptum Domini, si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei et aliam, ut scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit. Non tamen hoc semper tenetur facere actu; quia nec ipse Dominus hoc fecit, sed cum suscepit alapam, dixit quid me cædis? Et ideo etiam circa verba contumeliosa, quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. 1. Quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cæterò talia non attentet secundum illud Prov. 26. responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Alio modo*

modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.

Q. 13. *An, & quomodo restituenda est fama?*

Resp. I. Est obligatio justitiæ ex genere suo gravis restituendi famam injustè læsam, sive imponendo falsum crimen, sive detegendo sine iusta causa verum, sed occultum defectum, vel crimen. *Ita omnes.* quia tunc illata est vera injuria, damnosa, quæ proinde tolli, ac resarciri debet: jus enim quod quisque habet ad famam, auferri ob crimen etiam verum sed occultum & jam nemini nociturum nequit nisi per auctoritatem publicam. Adde quod bonum commune exigat, ut defectus, vel crimina occulta non detegantur sine necessitate aliqua: aliàs læderetur pax, ac tranquillitas publica, & tolleretur maximum frænum vitandi postea alia crimina, quod est famæ bonæ conservatio, & quo sublato in desperationem, & quodvis flagitium facile ruit humana fragilitas.

Resp. II. Fama injustè ablata restitui debet integrè apud eos omnes apud quos ablata fuit: nam Justitia exigit, ut damnum injustè illatum resarciatur integrè, & fiat restitutio ad æqualitatem; alioqui injustitia non tolleretur totaliter, & remaneret inæqualitas. Hinc qui publicè infamavit, tenetur famam publicè restituere.

Resp. III. Qui alium infamavit, falsum crimen